

Doc. 25

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 25

[1240?]

Vagientibus adhuc in cunis artis grammaticae natis discipulis, maioribus professionis cuiuslibet in amena Bononia doctis, Terrisius solo nomine dictus magister, homo qui sequitur veritatem, vitam bonam et exitum meliorem.

1

Quia materia ita se habet, quod ab amaritudine sumit exordium, nec dolorosa possunt sine animi turbatione narrari, non miremini si anxietate quadam et oratione singultuosa vobis scholaribus, qui inhabitatis orbem a mari usque ad mare, precipue filiis, quos in dolore peperit mater grammatica, dura nimis et amara, presentibus nuntiamus. Est enim, quod non sine doloris aculeo dicimus, grammaticae artis noviter extincta lucerna et desiccatus est fons irriguus, frugifer Eufraten, magister Bene, qui non ab infimo positivi, sed a superlativi nomine meruit derivari, cum supra se nullum habuerit ascendentem, immo sicut aquila transcendens omnia genera pennatorum, vir potens in opere et sermone, rara in terris avis, sine pluralitatis consortio dici meruit singularis. Ad cuius transitum, quasi sole petente occasum, tenebrae factae sunt super universam faciem terre. Nam ipse solus de tenebris et confusis Prisciani

Per questo personaggio, la cui ultima attestazione risale al 1246, cfr. soprattutto F. Torraca, *Maestro Terrisio* cit., pp. 231-253; H.M. Schaller, *Zum 'Preisgedicht' des Terrisius von Atina auf Kaiser Friedrich II.*, in *Geschichtsschreibung und geistiges Leben im Mittelalter*, Festschrift für Heinz Löwe zum 65. Geburtstag, cur. K. Hauck - H. Mordek, Köln-Wien 1978, pp. 503-518: 511-514 (il saggio è stato ristampato in Schaller, *Stauferzeit* cit., pp. 85-101); Delle Donne, *Il potere* cit., pp. 131-156.

tractatibus educens lucem, purgavit tenebras, ipseque veterem et antiquum reformavit apostatam, Donatistam compescuit, et quasi de caligine montis Synai, alter Moyses legifer a Deo et non ab homine sibi scriptam grammaticam hominibus reportavit. In quo mundo et rebus aliis tali et tanto sublato artifice non solum prima, sed dolorem artes ceterae patiuntur. Unde quid facient parietes cum corruerit fundamentum? Quid infelix grammatica, orba parente suo? De quo completum est illud propheticum: «Vox in Rhama, hoc est in excelsis, audita est, ploratus et ululatus, Rachel plorat maritum suum et non est qui consoletur eam ex omnibus caris suis». Nam quis similis sibi? Utinam suscicaret Dominus spiritum suum per aliquam phitonissam ut loqueretur nobis ad tempus, et revelaret nobis misteria magister magistrorum ille doctissimus, qui ducebat animalia in stuporem. Verum quia omnes morimur, et sicut aquae quae non revertuntur dilabimur, testante philosopho, crudelitatem fati equalitas consoletur.

Merore deposito, qui talem et tantum dilexistis autorem, ad eius exequias concurratis, orantes pro illo doctore mirabili, qui a mane usque ad vesperras clamavit sicut pullus hirundinis et meditatus est ut columba ponendo animam suam pro scholaribus, docendo desiit et docuit desinendo.

Cogunt flere bene laceros vos iure Camenae
pro doctore Bene, docuit qui dogmata plene,
doctor doctorum, lux praevia gramaticorum,
norma Latinorum, vir consors philosophorum;
cui dedit illa mori, quae nulli parcit honori,
corruptela boni, tanti censura patroni,
sillaba mortalis mors, impia sincopa talis,

qua vires, partes hominum solvuntur et artes.

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Cfr. il doc. 19.

Cfr. Hieronymus, *Liber interpretationis Hebraicorum nominum*, ed. P. de Lagarde, Turnhout 1959 (CC SL. 72), p. 5, r. 16. Cfr. anche il doc. 27.

Cfr. il doc. 27.

Cfr. *ibid.*

Cfr. *Matt.*, 27, 45; *Marc.*, 15, 33; *Luc.*, 23, 44.

Cfr. il doc. 29, in cui Prisciano viene definito apostata.

Cfr. *Exod.*, 19, 16 ss.; cfr. anche il doc. 27.

Cfr. *Ier.*, 31, 15; *Matt.*, 2, 18; ma cfr. anche il doc. 27.

Cfr. il doc. 27.

Cfr. Sen., *Dial.*, XII 1, 4.

Il primo di questi versi è registrato da H. Walther, *Initia carminum ac versuum medii aevi posterioris Latinorum*, Göttingen 1959, n. 3017. Sulla struttura di questi esametri cfr. Delle Donne, *Guglielmo de Luna* cit., pp. 231- 232 nota 29.

Sul personaggio cfr. soprattutto Bene Florentinus, *Candelabrum*, ed. G.C. Alessio, Padova 1983, pp. XXVII-XXXI.